

Verum inter hæc ad supremum Ecclesiæ regimen nullo nostro merito, ac præter omnem opinionem evecti, id unum efficere potuimus primo, ut scripta omnia, & adversaria nostra Romam exportarentur: in quibus cum esset Commentatio, de qua dicimus, eam per diu nec attingere licuit; tam multis, tam variis, tamque gravibus districti fuimus curis toto hoc præterito tempore nostri Pontificatus. Nunquam tamen ejus perficiendæ, vulgandæque cogitationem abjecimus. Itaque post recognitos, auctos, & iterum typis impressos quatuor nostros *de Canonizatione Sanctorum* Tomos; post eundem laborem adhibitum nostris *Operibus de Festis Domini, & Beatae Mariæ Virginis, de sanctissimo Missæ Sacrificio*, aliisque, quæ in Latinum conversa, & additamentis pluribus locupletata, vel prodierunt jam, vel prælo parata sunt; post vulgatum præterea Bullarii nostri priorem Tomum, huc postremo animum convertimus: naclique subinde inter difficillima, & assidua Pontificatus negotia aliquid vacui temporis, idque raptim Commentationi nostræ impendentes, eam aliquando tandem confecimus, seu verius fere ex integro elaboravimus: adeo multa sunt de novo addita partim ex Libris nostræ Bibliothecæ, partim ex nostris Bononiensibus Litteris, & Edictis, partim denique ex iis, quæ totius nostri Pontificatus septennio decreta a nobis, & constituta sunt.

Ita in hanc qualemcunque formam redacta est Commentatio; quam nos dum in publicum edimus, aliud nihil spectamus, nisi ut Episcopi suas celebrare Synodos, rite, ac laudabiliter possint, nullumque præbeant locum querelis, quæ sæpe contra Synodalia Decreta ad Sedem Apostolicam perferuntur. Spe autem certa ducimur, non exiguum exiturum fructum laboris, & industriæ nostræ, si modo Præsules Ecclesiarum animo suo reputabunt, quod in Concilio Tridentino decretum est de Synodis celebrandis, nec leve negotium esse, nec temere, aut sine certis legibus peragendum. Sed ut nullum fore arbitramur, qui velit, sine justa causa, hanc officii sui partem gravissimam prætermittere; ita votorum nostrorum summam consequemur, si deinceps suas singuli Synodos celebrare infiruent non solum crebro, verum etiam recte, & ex præscripto illarum, quas toto hoc Opere complexi sumus.

Et hæc quidem olim præfati sumus, cum nostrum hoc Opus *de Synodo Diocesana* anno Domini MDCCXLVIII. Romanis typis ederetur: eademque leguntur præfixa ceteris editionibus, quæ in hunc usque diem prodierunt. Sed postea, cum certis argumentis nobis innotuerit, labores hosce nostros grata utentium approbatione excep-